(10

IO. ANT. CASSITTI

ICTI ET ADV. NEAP.

CONSTANTINVS

Sive Diatriba *in L.* 31. *C. ad L. Iul. de adult.*

NEAPOLI

CIↃIↃCCLXXXX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

V. CL.

PHILIPPO M. RENAZZIO

ICto ET ANTECESSORI ROMANO

I. A. CASSITTVS

S.

AD te, Vir Summe, sponte sua convolant quae sequuntur pagellae, tuoque clarissimo nomine superbiunt. Sermo est de impudicitiae proiectissimae sordibus per Constantinum detersis. Quem Patronum opusculo quaesivissem decentius, nisi RENAZZIVM *Virum frugi, gravem, sapientem, et, quod magis est, nostrae huius Iurisprudentiae Coryphaeum? Vivent profecto commentationes tuae* de Iure Criminum *ubicumque flo-*

florent bonae literae, manibus hominum terentur donec malos mores coerceri oportebit. Felix RENAZZI, *qui succollasti paene solus Italiae gloriam, et quid Italici valeant humeri, quid ingenia aeterno monumento docuisti! Macte animo, V. Cl., perge ut facis: Iuris non simulatam Philosophiam, Lyceum Forumque Urbis aeternae, scriptis et moribus meliori saeculo dignis feliciter illustra. Nos vestigia, ut ille ait, proni adorabimus, plaudet Europa. Hoc interim Schediasma, qua soles comitate excipias rogo: ita enim decet Viros doctos, ita Viros bono humani generis natos. Brevi trecentae plus minus Observationes huiusmodi ex forulis nostris erumpent, si parvum hoc specimen tibi non improbari sensero. Iam enim laetissimus video* BIGONIVM, PRINAM, *ceterosque nostrates, Bartolo seposito, in* ALCIATI *scholam divertisse. Accedam et ipse magnis Scriptoribus*

Non sine DIS animosus infans.

Vale, nosque ama ut facis.

IO. ANT. CASSITTI

CONSTANTINVS

sive Diatriba in *L.31. C. ad L. Iul. de adult.*

VErba legis haec sunt . *Cum vir nubit in feminam viris porrecturam, QVID cupiatur ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id quod non proficit scire? ubi venus mutatur in alteram formam? ubi amor quaeritur nec videtur? Iubemus insurgere leges, armari iura gladio ultore, ut exquisitis poenis subdantur infames qui sunt, vel qui futuri sunt rei.*

§. I.

Non sine caussa inscriptionem , ac subscriptiooem huius legis omisimus . Anxium video IAC. GOTHOFREDVM (*a*) atque ipse non minus haereo ut de huius edicti aetate cer-

tum aliquid statuatur: Codices enim Theodosianus, et Iustinianaeus diſcrepant. Primus liber dat inſcriptionem, *Impp. Conſtantius, et Conſtans AA.* ſubſcriptionem vero huiusmodi, *Dat. Prid. Non. Decembr. Med. PP. Romae XVII. Kal. Ianuar. Conſtantino IX. et Conſtante AA. Coss.* Immania vides portenta. Conſtantinus Aug. numquam attigit IX. Conſulatum, neque umquam Conſtantem in imperium aſſumpsit, qui vivo parente Caeſaris nomen perpetuo retinuit. Quod ſi pro *Conſtantino* ſubſtituamus *Conſtantium*, hic certe IX. Conſulatum non cum Conſtante, ſed cum Iuliano geſſit an. 357. Nodum extricare non potuit magnus GOTHOFREDVS, ideoque ferro ſecuit. Accipe viri doctiſſimi iudicium. *Putarem referendam hanc legem ad Conſtantium VII. et Conſtantem III. AA. Coss. idest ad. an.* 354. *niſi, quod ſuadere videtur dies ſubſcriptus, eam referas ad an. D.* 357., *eamque coniungas cum l.* 5. *inf. de maleſ.*

(a) *Ad h. l. C. Th. lib. IX. tit. VII. l.* 3. *p.* 59. *in not. ult.*

§. II.

§. II.

Vereor tamen ego ne in scopulos duriores incidamus. Ut mittam emendationem scripturae truculentam, quae auctoritate utriusque Codicis destituitur: animadvertes an. 354. fuisse Consules Constantium VII. et Gallum Caesarem. Porro Gallus numquam Constantis nomine salutatur in monumentis, immo sunt qui solum Constantii nomen praetulisse Gallum ex numis et Chronologis autument, eo vero nomine nunquam usos auctores ne confusio oriretur. Deinde hoc ipso anno 354. Gallum Caesarem iussu Constantii obtruncatum novimus; adeoque vix potuit exeunte anno nomen damnatae memoriae Edicto adscribi (*a*). Denique lex referri multo minus poterit ad an. 357. scilicet ad Constantii VIII. et Iuliani Caesaris II. Consulatum. Quis enim obtrudat Iulianum in subscriptione, quae loco altero in Codice Theodosiano exhibet Constantem, in Iustinianaeo Constantium? Moveor his potissimum argumentis ut falsum, hac in re quidem,

dem, audacter pronunciem graviſſimum Criticum GOTHOFREDVM,

Namque opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

(a) Conf. ECKARD. *Hermen.* §. 224. *in not.*

§. III.

Atque uti in negotio incertiſſimo meam utcumque ſententiam feram, nihili ducens inſcriptionem Edicti, quae ſaepiuſcule fallax in noſtris libris oſtenditur (*a*); ad ſubſcriptionem tutius confugiendum exiſtimo. Porro ſubſcriptio in C. Theod. apertiſſimo laborat vitio, quae nempe IX. Conſulatum adfingit Conſtantino, eique dat conſortem dignitatis Conſtantem. Igitur nihil reſtat quam ut conſulamus Codicem Iuſtiniani, ſi forte meliorem praebeat lectionem. In hoc ita ſe habet Edicti ſubſcriptio (*b*) *PP. Romae XVII. Kal. Ian. Conſtantino VIII. et Conſtantio Caeſ. IV. Conſulibus*. Si pro Conſtantio Caeſare alium legas Conſtantinum (ut non raro ſimilia haec nomina permutantur (*c*)); videor videre in iſtis veſtigium veritatis. Quis enim

nim nescit Constantinum A. VIII. et Constantinum C. IV. Consules fuisse an. 329. ? Non ergo nutat chronologico ullo vitio auctoritas probatissimi Codicis.

(a) REINOLD. *Orat. de Legum Inscript.* §. 13. in WIELINO. *Iurispr. Restit. vol.* 11. *p.* 200.

(b) In Cod. Iust. edit. Venet. 1569. subscriptio sequens prostat. „ *PP. Romae XIII. Kal. Ianuar. Constantio III. et Constante II. AA. Cons.* „ i. e. an. 342. Sed hoc anno Augusti Consules Antiochiae degebant. Vid. *Chronolog. C. Th. pag. XLIII.* Aliae editiones, ac praecipua DION. GOTHOFREDI praebent subscriptionem in textu a nobis relatam.

(c) ECKARD. Hermen. §. CCXXV.

§. IV.

Atqui regerunt Critici Gothofrediani plures constitutiones a Iustiniano adscriptas Imp. Constantino, quas tamen eius liberos tulisse satis constat (*a*), BALDVINVM simili errore ductum a CONTIO iure merito vapulasse (*b*). Fateor: sed quid facias cum hoc loco Theodosianus liber mendacii sit manifestissimus: contra Iustinianaeus Fastis non repugnet ? Scio Constantinum an. 329. ab urbe Mediolano procul abfuisse, atque in Dacia, Thracia, et Pannonia commoratum (*c*) Item scio

in C. Th. scribi legem nostram fuisse editam MED. idest *Mediolani*, ut vulgo explicant. Sed minime ista mihi negotium facessunt. Nescimus exeunte anno 329. in Thracia an Mediolani Constantinus versatus fuerit. Profecto eiusdem Constitutio quaedam (*d*) hoc anno, et quidem Decembribus Kalendis emissa locum adscriptum non habet vel temporis iniuria, vel incuria librarii. Sed ut libere eloquar quod sentio, sigla illa C. Theodosiani MED. perperam hic pro *Mediolani* nomine accipitur, cum sit initium MEDIANAE. Mediana vero suburbium fuit Naissi in Dacia, ubi plane nunc Naissi nunc Serdicae hoc anno 329. Constantinus versabatur (*e*). Medianae locum et aliae huius Principis Constitutiones habent subnotatum (*f*).

(a) IAC. GOTHOFRED. *Proleg. C. Th. cap. VIII.*

(b) *Lection. cap. XIX. in calce p.* 36., ubi adnectitur opusculum sub tit. *Admonitio de falsis Constantini legibus ad quemdam qui se hoc tempore Iurisconsultum Christianum profitetur*. Conf. HEINECC. *Opusc. Syllog. III. n. XVII. p.* 240.

(c) *Chronol. C. Th. ad h. an.*

(d)

(d) *L.* 18. *C. Th. de Decurionibus*.

(e) *L.* 18. *C. Th. de appell. l.* 2. *C. Th. de in integr. restit. l. un. ib. de his qui sanguinolent. l.* 16. *de decurion.* Amavit hoc caelum Constantinus: Naissi enim, imo *apud Naissum* i. e. in Medianae suburbio natus dicitur Firmico *Mathes. lib.* 1. Vid. CVPER. *in Praef. ad* LACT. *de mort. pers. p.* 2.

(f) *L.* 13. *C. Th. de oper. publ. L.* 8. *ib. de iure Fisci.*

§. V.

Maneat igitur Edictum nostrum datum fuisse ex Mediana prope Naissum an. 329. et a Constantino Principe, iuxta egregiam Iustinianei Codicis lectionem. Stilus ipse opinionem nostram abunde confirmat. Cothurnatus enim adsurgit, qualem Constantino Magno fuisse proprium docti norunt. Vel ipsae dictiones, et loquutiones Constantino familiares in Edicto occurrunt. *Gladius* ille *ultor* Imperatori nostro usurpatur in gravissima alia lege (*a*) item *poenae exquisitae* (*b*). Atque uti suspicionem nostram tueamur Historiae praesidio, SOZOMENVS (*c*) auctor est Constantinum *libidinosos concubitus antea minime vetitos coercuisse*. Immo hanc nostram legem IO. SARISBERIENSIS uni attribuit *Impera-*

tori , quem ego Constantinum puto : nam si Constantii et Constantis esset , omnino scriptor ille accuratissimus *Imperatores* plurium numero nominasset . Denique B. HIERONYMVS (*d*) coniecturas meas palmario testimonio disertissime firmat. Verba appono. *In tantum Graeci et Romani hoc quondam vitio laboraverunt , ut et clarissimi Philosophorum Graeciae haberent publice concubinos . . . . Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicae libidini expositi : donec sub CONSTANTINO Imperatore ..... infidelitas universarum gentium , et turpitudo deleta est .* Quae si ita se habent , ut videtur , monebunt ingenuos viros ut reforment inscriptiones in utroque Codice prostantes . Neque enim legendum ut in Theod. *Constantius et Constans AA.* , vel in Iustin. *Constantinus et Constans AA.* ; sed certe *Constantinus A. et Constantinus C.* Nunc venio ad ipsam Legem.

(a) *L. I. C. Th. de iurisd.*
(b) *L. I. C. Th. de offic. iud. omn.*
(c) *Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 8. *in fin.*
(d) *In Esaiam lib.* 1. *cap.* 2.

§. VI.

Obscurum Edictum proposuisse Imperatorem data opera, ut populi auribus honor haberetur scribit ACCVRSIVS (*a*), et post eum IAC. GOTHOFREDVS (*b*) IAN. VINC. GRAVINA (*c*) et Cl. PVTTMANNVS (*d*). Eadem obscuritas fuit in caussa cur lectiones librorum discreparent, atque eruditissimi quique Interpretes in lege emendanda et enarranda abirent in partes. Qua obscuritate ac dissidio et ipse permotus, decrevi edictum nostrum paullo diligentius excutere. Fateor nemini non dictum hunc Hylam. Tentabo igitur an meam quoque symbolam conferre possim, ut nobilissima Lex Constantini Magni in sua luce collocetur. Agnosco etiam in ipso argumento sordes. Sed haec scriptio profanis non patet: res est mihi cum viris gravibus, et verae Philosophiae Sacerdotibus, et nihilominus cavebo diligenter ne quid modestia detrimenti capiat.

(a) *Gloss. ad h. l.*

(b) *In h. l. quae est in C. Th. l. 3. lib. IX. tit. 7. ad l. Iul. de adult.*

(c) *De LL. et SCt. Cap. XC.*

(d)

(d) *Probabil. lib. II. Cap. XVII. §. 5. p. 131.*

§. VII.

Lectio vulgata Edicti nostri sollicitari non meretur. Tantum pro *QVID cupiatur* velim scribas per innocuam geminationem *QVID-QVID cupiatur*, atque ita notas omnes interrogationum strenue deleas, quae plane in exemplaribus antiquis non exstant. Nunc ergo planior fiet oratio.

CONSTANTINVS A. et *CONSTANTINVS* C. ad populum.

„ Cum vir nubit in feminam viris porre-
„ cturam quidquid cupiatur, ubi sexus per-
„ didit locum, ubi scelus est id quod non
„ proficit scire, ubi venus mutatur in alteram
„ formam, ubi amor quaeritur nec videtur;
„ iubemus insurgere leges, armari iura gla-
„ dio ultore, ut exquisitis poenis subdantur
„ infames qui sunt, vel qui futuri sunt rei.
„ Dat. Prid. Non. Decembr. Medianae. PP.
„ Romae XVII. Kal. Ianuar. (*a*) Constanti-
„ no A. VIII. et Constantino C. IV. Coss.

Iam operae pretium erit secare Edictum in partes, et has propius intueri.

(a)

(a) Ne obiicias paucorum dierum spatio edictum ex Moesia pervenire non potuisse Romam, ibique proponi. Cursu enim publico non clabulario sed veloci mandata Principum perferebantur, et cursores diurno itinere decem dierum viam vorabant. PROCOP. *Arcan. Hist. cap. XXX. Vid.* SPANHEM. *de praest. et usu numism. Diss. IX.* Biduo saltem cursor Dyrrachium pervenit. Exinde Romam via maritima non multo prolixior.

§. VIII.

CVM VIR NVBIT IN FEMINAM. Prostat vulgata ista lectio in pluribus libris, cum qua etiam SARISBERIENSIS (*a*) nostram Constitutionem exscripsit. Codex Theodosianus TI-LII, et volumina quaedam MSS. Codicis Iustinianei habent, *Cum vir nubit in femina*: Liber Noricus, *Cum vir nubit ut femina*. Nolo a prima lectione sine caussa discedere; nam et verior, et antiquior videtur.

CVM VIR NVBIT. De veris masculorum nuptiis haec accipiebat RAEVARDVS (*b*). Neque tamen proferebat exempla, et unico loco SALVIANI decertabat, quem locum infra expendemus. Lubet nunc de monstrosis masculorum nuptiis quaedam disserere, ne delirus videatur doctissimus ille Interpres. Nero-

ronis nuptias cum Pythagora (*c*) Sporo (*d*) ac Doryphoro narrant Historici. Antoninus Varius Helagabalus teste LAMPRIDIO (*e*) *nupſit*, *ut et pronubum haberet*, *clamaretque*: Concide Magire „ *Concidere* verbum est impuratum. *Dividere* dicitur pari sensu in Satyrico Petroniano (*f*) ubi Glossarium: *Dividere obscenae nequitiae loquutio*, *CADERE hillas*. Hic emendo CAEDERE *hillas*, nam et LABERIVS (*g*) eamdem usurpat formulam, de qua videndus IVST. LIPSIVS (*h*). Consimili modo *praecidendi* verbum adhibet MARTIALIS (*i*). Igitur scelestum illud carmen famosi Imperatoris *Concide Magire* (scil. *coque*, nam *μαγειρος* est *coquus*) ad hillas caedendas commilitones invitabat. Sed ut ad priora redeam: nemo dixerit aevo Constantini portenta illa generis Neronem, et Helagabalum reperisse in populo imitatores. Nuptiae autem Gracchi et Cornicinis (*k*), vel Callistrati et Apri (*l*) gemellae paene sunt nuptiis Gythonis cum Pannychide a PETRONIO descriptis (*m*). Scilicet eo quorumdam vaesania processerat, ut in huiusmodi flagitiis faces, epi-

epithalamium, ac dictionem dotis adhiberent, simulatis per nequitiam et iocum nuptiis. Per iocum inquam, ut liquido probari opinor ex *Catalectis* (*n*). Quod si est: perperam RAEVARDVS nostram legem de veris ac seriis masculorum nuptiis intelligebat.

(a) *Policr. lib. III. cap.* 13.

(b) *Varior. lib. IV. cap.* 20.

(c) TACIT. *Annal. lib. XV. cap.* . . SVLPIC. SEVER *Hist. Sacrae lib.* 11.

(d) SVETON. *in Nerone cap.* 18.

(e) *In Vita p.* 302.

(f) *Cap. XI.*

(g) Apud NON. *Cap. II.* §. 410.

(h) *Epist. Quaest. lib. V. epist.* 14.

(i) *Lib. IV. Epigr.* 48.

(k) *IVVEN. Sat. II. v.* 134.

(l) MARTIAL. *lib. XII. epigr.* 42.

(m) *Satyric. cap. . . p.* 12.

(n) *Epigr. V. v.* 13. *seq.*

§. IX.

Sed urget RAEVARDVS locum SALVIANI Massiliensis (*a*), ex quo somnium illud nuptiarum virilium conatur extundere. Verba accipe. *Cum muliebrem habitum viri sumerent, et magis muliebrem gradum fingerent, cum in-*

di-

ditia quaedam monſtroſae impuritatis ſibi innecterent , et femineis tegminum illigamentis capita velarent etc. (*b*) . Ego illas nuptias hoc in loco non video , aut omnino ſum caecus. Quis , amabo , non dicet graviſſimum Preſbyterum taxare his verbis mollitiem cinaedorum ? Hi femineo tegmine velabant caput , ſcil. mitellâ . Celebris locus ille CICERONIS (*c*) . *Deliciârum cauſſâ et voluptatis , non modo cives Romani , ſed et nobiles adoleſcentes , et quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos , non in hortis aut ſuburbanis locis , ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitellâ ſaepe vidamus* . Quare SERVIVS (*d*) . *Quibus effeminatio crimini dabatur , etiam mitra eis adſcribebatur : multa enim lectio mitras meretricum eſſe docet* . Optime Grammaticus . Iuvabit afferre pulcherrimum , licet vulgatum principium Poëmatii , cui titulus *Copa* .

Copa Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ
Criſpum ſub crotalo docta movere latus ,
Ebria famoſâ ſaltat laſciva tabernâ
Ad cubitum raucos excutiens calamos .

At quandoque etiam Auguſtae mitella ornana-

nabantur (*e*). Idem SERVIVS ad versus Virgilianos (*f*)

Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae,

O vere Phrygiae, neque enim Phryges,

ista commentatur. *Aliqui mitras meretricum esse volunt, quod hic est tamquam effeminatis obiectum.* Porro SALVIANVS *illigamenta* adpellavit quae VIRGILIVS vocaverat *redimicula*, iisque molles viros capita velasse auctor est CLEMENS etiam Alexandrinus (*g*), quoniam severiores Romani capite incedebant nudo, nec nisi in itinere aut morbo tectum habebant. Haec sunt *indicia monstrosae impuritatis* iudice SALVIANO, item crocota, soleae muliebres, periscelides, quibus infames pueri et semiviri ornabantur. CICERO (*h*). *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psaltria, a flagitio, a stupro est factus repente popularis.* Quas CICERO hic *purpureas fasciolas* dicit, *crurales fascias* vocat PETRONIVS (*i*). *Barbatus ingens fasciis cruralibus alligatus.* Has crurales fascias inter ornamen-

menta muliebria recenset VLPIANVS (*k*). Distichon vetus quod CALVO, aut CINNAE adscribitur in Pompeium Magnum (*l*).

Fasciolis qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit; quid credas hunc sibi velle? virum.

Nam et qui digito uno scalpunt molles habebantur (*m*). De Pompeio MARCELLINVS (*n*). *Nec non etiam in Pompeium obtrectatores iniqui multa scrutantes, cum nihil unde vituperari deberet inveniretur, duo haec observaverunt ludibriosa, et irrita* (*o*) : *quod genuino quodam more caput digito uno scalperet, quodque aliquamdiu tegendi ulceris caussâ deformis, fasciola candida crus colligabat*. Fasciolas istas Pompeii cretatas, sive albatas memorat quoque VAL. MAXIMVS (*p*). De eodem CICERO (*q*). *Et Epicratem suspicor, ut scribis, lascivum fuisse. Etenim mihi caligae eius, ut fasciae cretatae non placebant*. Aenigma est ab Interpretibus desperatum. IO. FRIDERIC. GRONOVIVS (*r*) caligas, et fascias cretatas de Pompeii militibus accipit, eiusque protervia.. At cur *lasci-*

scivum CICERO scribit Epicratem ? Subiicit indicium fasciarum, quae non militibus sed impudicis conveniunt. Malim igitur legas. *Etenim mihi caligae eius*, sed *fasciae cretatae non placebant.* Aut alioqui, *Etenim mihi* VT *caligae eius*, *fasciae cretatae non placebant*. Placuisse sibi caligas Pompeii TVLLIVS ait, non tamen fasciolas illas ex caligis ad crura circumplexas: nam ut caligae militarem fortitudinem, ita contra fasciae morum lasciviam prodebant. Et quidem *cretatas* dixit, unde apparet notasse in Pompeio *albas* illas fasciolas ab eius osoribus improbatas, ut supra vidimus.

(a) *De Gubern. Dei lib. VII.*

(b) Similis locus ARNOBII *lib. II. p. 86. Idcirco animas misit ut divini ponderis & gravitatis oblitae, gemmas, lapillos, margaritas castitatis dispendio compararent... nec in formis erubescerent masculorum calamistris vibrare caesariem, cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis exponere, & in habitum feminarum deliciasque mollire?*

(c) *Pro Rab. Post. cap. X.*

(d) *Ad* VIRG. *Aeneid. lib. IV. v. 216.*

(e) Vid. *Monum. Matthaeian. Vol. 1. tab. LXXIV. &*

 LXXXVII.

LXXXVII. Vol. II. tab. XXIII. *ibiq.* eruditiſsimi AMADVTII *commentaria*.

(f) *Aeneid. lib. IX. v.* 616.

(g) *Paedag. lib. III. cap.* 3.

(h) *De Arusp. Resp. cap. XXI.*

(i) *Fragm. Tragurit. p. XVII.*

(k) *L.* 25. §. 10. *ff. de aura arg. leg.*

(l) Exstat in *Catalectis*.

(m) SENECA. *Epist. LII.* IVVENAL. *Sat. IX. v.* 133. Feminarum est enim digito vel crinali acu capillos fodere ne comarum ordo perturbetur.

(n) *Lib. XVIh. p.* 188.

(o) Mallem *ludibrioſa sed irrita*.

(p) *Lib. VI. cap.* 2. §. 7.

(q) *Ad Attic. lib. II. epist.* 3.

(r) *In Comment. h. l.*

§. X.

Iam fasciolae huiuscemodi ac mitellae et alia id genus viris bonis vitio vertebantur, et signa erant *monstroſae impuritatis*, idest impudicitiae infandae. QVINTILIANVS (*a*), *Palliolum, et fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo*. Idcirco HORATIVS (*b*)

. . . *insignia morbi*
Fasciolas, cubital, focalia.

Pal-

Palliolum QVINTILIANO memoratum proprium erat meretricibus indumentum (*c*) ideoque cinaedi palliolati vagabantur (*d*). et cum P. Scipio Africanus palliatus et crepidatus in quodam gymnasio Siculo se exercuisset, licentius id sibi indulsisse opinatur VAL. MAXIMVS (*e*). Si morbi necessitas cessaret, putidus ille delicatorum ornatus suspicionem suggerebat, qua vacare non potuit magnus Pompeius. Non nisi ridens video RAEVARDVM in SALVIANO pro *indiciis monstrosae impuritatis* reponere *indicia menstruosae impuritatis*. O lepidum ornatum! pannos nempe inquinatos foedissimo sanguine ostentabant. Atqui mox idem SALVIANVS paucis lineis interiectis ista subiecit. *Diximus plenas fuisse impuritatibus monstrosis Africae civitates*. Si vera esset RAEVARDI emendatiuncula dicemus pluisse sanguine, et *plenas fuisse impuritatibus menstruosis Africae civitates*.

(a) *Inst. Orat. lib. XI, cap. 3.*
(b) *Lib. II. Sat. 3. v. 254.*
(c) MARTIAL. *lib. IX. epigr. 33.*

(d) PHILO *de Special. LL.* p. 659.
(e) *Lib. III. cap.* 6. §. 1.

§. XI.

Explosis ergo nuptiis masculorum, quas RAEVARDVS magna licentia excogitaverat, pergimus ad legis nostrae explicationem.

CVM VIR NVBIT. *Nubendi* vocabulum scite interpretatus est ACCVRSIVS. *Nubit in feminam, idest in officium feminae se supponit*. Etenim, ut bene MVRETVS (*a*), *veteres saepe nuptialibus vocabulis ad omne libidinis genus abutebantur*, idque iamdiu PETRVS VICTORIVS observaverat. Exempla congerit GRAVINA (*b*). Adde ista. Virgo quaedam Vestalis apud SENECAM (*c*)

Felices nuptae! moriar nisi nubere dulce est.

APVLEIVS (*d*), *Aversam venerem invitat ad nuptias*. Idem alibi (*e*). *Petiturus mulierem meis, praeclaris nuptiis destinatam*. Immo pathici praesertim *nubere* dicuntur. TERTVLLIANVS (*f*), sive quis alius certe antiquus

Pulsabant caelum invidia connubia mixta
Incestu patili.

In-

Inceſtum optime dixit. Ita et SALVIAN. (*g*) *mollium inceſtus*. Similiter CYPRIANVS (*h*) *Videte contra foedus iusque naſcendi patientiam inceſtae turpitudinis elaboratam*. Et *inceſtum et nuptias* hoc in ſcelere arguit BONIFACIVS VIII. (*i*) *Secundum leges civiles, nefarias, naturae contrarias, inceſtas nuptias contrahentes, eo ipſo ſuarum dominium rerum perdunt*. Gloſſa haec de cinaedis intelligit. Hi enim dimidia bonorum parte multabantur (*k*). *Nuptare* illos qui ſeſe praepoſterae libidini ſubſternunt etiam alibi TERTVLLIANVS (*l*) canit, ubi Lothum inducit cives increpantem.

Quo luxus genitura vocat? quo ſemina fruſtra?
Quo nullae nuptant animae, non luſtra colentes,
Non ſtabulis reduces, non undis ſubter hiantes.

Bruta quidem animantia tali vitio non teneri affirmant OVIDIVS (*m*) LVCIANVS (*n*) PLVTARCHVS (*o*) IVSTINIANVS (*p*) CHRYSOSTOMVS (*q*) Sed nonnulla exempla referunt ſcriptores,

AELIANVS (*r*) praeſertim, quae opinionem iſtam ſatis refellunt, qua de re loco alio (*s*) diſſeruimus.

(a) *Ad Catull. pag. XV.* adde GONZAL. ad PETRON. *Satyric. p.* 283.

(b) *De LL. & SCt. Cap. XC.* adde FABRVM *Theſ. Erudit. col.* 1541.

(c) *Lib. VI. Controv.* 8.

(d) *Metam. lib. VII. p. m.* 119.

(e) *Lib. X. p. m.* 193.

(f) *de Gubern. Dei lib. VII.*

(g) *Sodom. cap.* 2.

(h) *Ad Donat.*

(i) *Cap.* 19. *de haeret. in VI.*

(k) IVL. PAVLL. *apud Pariatorem LL. Moſaic. & Rom. tit. V.* §. 2.

(l) *Eodem Poematio; & capite.*

(m) *Metam. lib. IX.*

(n) *Amor. p.* 174.

(o) *In Tract. Bruta anim. ratione uti p.* 329.

(p) *Nov. CXLI. cap.* 1.

(q) *In Epiſt. ad Rom. homi. IV.*

(r) *Var. Hiſt. lib.* 1. *cap.* 15.

(s) *Obſerv. ad* DE ANGEL. *de delict. & poen. Part.* 1. *cap. XCI. n.* 5. *p.* 327.

§. XII.

IN FEMINAM. Verba haec optime quoque ex-

pli-

plicabat ACCVRSIVS, *in officium feminae*. IAC. GOTHOFREDVS (*a*) ex VIRGILIO, PROPERTIO, CYPRIANO, HIERONYMO Atticum hoc loquendi genus etiam Latinis usitatum probat. Ego addo PETRON. (*b*)

In Venerem fregere viros:

APVLEIVS (*c*) *Mugivit in bovem*. IDEM paullo antea (*d*). *De iumenti quadrupedis incurvo gradu rursum erectus in hominem*: et mox (*e*). *Iacensque in mortuum*. B. CYPRIANVS (*f*). *Virum in feminam fregerit*. B. HIERONYMVS (*g*). *In theatralibus scenis histrio mollis in Venerem frangitur*. Vides cur cinaedus *nubere* dicatur *in feminam*. Patitur scilicet *tamquam femina*. QVINTILIANVS (*h*). *Quomodo vos divites recipitis matrimonia? Recipitis? . . . . Aliae vos rapiunt voluptates, illa ministeria, illi imitat feminas pueri: inde fit ut ne liberos quidem ametis*. IVLIVS FIRMICVS (*i*). *Negant se viros esse et sunt: mulieres se volunt credi, sed aliud qualiscumque qualitas corporis confitetur*. SALVIANVS Massiliensis (*k*). *Viri in semet ipsis feminas profitebantur*.

(a) *Ad h. l. in C. Th. p. LX.*

(b) *de Bello Civili*.

(c) *Lib. VI. p.* 187.
(d) *Lib. IV. in princ. p.* 133.
(e) *P.* 135.
(f) *Lib. I. Epist. XI.*
(g) *Epist. ad Marcellam p.* 188.
(h) *Decl. CCCXXXVII.*
(i) *De Err. Prof. Relig. Cap. IV.*
(k) *de Gubern. Dei lib. VII. p.* 373.

§. XIII.

VIRIS PORRECTVRAM. Ita legimus vulgo in Codice Iustiniani. Ita habebant membranae pervetustae DVRANTII CASELLII (*a*), et antiqua omnia volumina inspecta ab ALCIATO et CVIACIO (*b*); immo et IO. SARISBERIENSIS (*c*) legit *vires porrecturam*. Scripsit autem librarius *vires* pro *viris*, neque audiendus PVTTMANNVS (*d*) illam lectionem insinuans, ex qua quid erui possit ignoro. Multo minus sequi audeo DION. GOTHOFREDVM qui ex ingenio refingit, *in femina viris porrectura*, vel IACOBVM filium qui sermonem apertissimum turbat emendans, *in feminam viro, porrectura*, vel *in femineam viro porrecturam*. Non admitto restitutionem GVLIELMI BEST (*e*), qui mal-

mallet scribi, *ut femina viro se proiectura*; quamquam vir doctus mirifice iuvetur Codice Theodosii Tiliano, ubi est, *viros proiectura*. Neque demum amplector lectionem Noricam, *viros paritura*, ex qua RAEVARDVS (*f*) reposuit *viris paritura*: scilicet ut nuptiae illae, et impuritates menstruosae etiam puerperio absolverentur. Nam quaecumque lectiones a receptissima et antiqua scriptura discedunt, merae sunt stribligines.

Vir nubit tamquam femina quae viris porrigit. Hoc omnino vult CONSTANTINVS illis verbis. *Vir nubit in feminam viris porrecturam*. *Porrigere* autem feminarum est, ut virorum *arrigere* (*f*). OVIDIO (*g*) et MARTIALI (*h*) mulieres nunc *praebere*, nunc *dare* dicuntur. Sed et turpissimi semiviri *porrigunt*; sicuti de infami Helagabalo prodit LAMPRIDIVS (*i*).

(a) *Varior. lib. I. cap.* 2.

(b) *Vid.* CVIAC. *in not. ad h. l. tom. X. p.* 438. *edit. Fabroti*.

(c) *Policrat. lib. III. cap.* 13.

(d) *Probab. lib. II. cap. XVII.* §. 5. *p.* 131.

(e) *Rat. Emend. Leges cap. XXVII.* §. 9. *p.* 286.

(f)

(f) DONAT. in Andr. TERENT. Vide CVIAC., & GOTHOFR. *ll. citt.*

(g) *Amor. lib. III. eleg.* 8. *v.* 34. *& Art. lib. III. v.* 165.

(h) *Lib. II. epigr.* 31.

(i) *In Vita p.* 297.

§. XIV.

QVIDQVID CVPIATVR. In Codice Theodoſiano, et apud SARISBERIENSEM ſcriptum videmus *Quid cupiat*. IAC. GOTHOFREDVS, et GVL. BESTIVS adnuunt. Ego vero non recedo a libro Iuſtiniani. Tantum pro QVID *cupiatur* emendaveram GRAVINA praeeunte QVOD *cupiatur*. Sic MARTIALIS (*a*) ILLVD *puerile popoſci*. PETRONIVS (*b*) quoque ſignificatione conſimili. *In extrema plebe quaerit* QVOD *diligat*. Sed malui nuda geminatione ita legere ut feci, *QUIDQUID cupiatur*: quibus in verbis latet cuiusvis libidinis infanda complexio. CATVLLVS (*c*)

Quae ſeſe toto corpore proſtituit.

MARTIALIS (*d*) ſaepe huiusmodi loquutionibus abutitur. Cum primis ad rem noſtram facit CLAVDIANVS (*e*)

NIL

NIL NEGAT, *et ſeſe vel non poſcentibus offert.*
Miſerrimus ille Eunuchus *porrigebat quidquid cuperetur*. ARNOBIVS. (*f*) *NIHIL PATI renuentes*.

(a) *Lib. IX. epigr. 67.*
(b) *Satyric. cap. .... p. 60.*
(c) *Epigr. CXI. v. 8.*
(d) *Lib. IX. Epigr. 33. & lib. XII. epigr. 66.*
(e) *In Eutrop. lib. I. v. 365.*
(f) *Adv. gent. lib. II. p. 87.*

§. XV.

VBI SEXVS PERDIDIT LOCVM. *Locus* idem eſt ac *dignitas* non CICERONI ſolum, ſed et noſtro CONSTANTINO (*a*). Amittit vir in foeditate iſta muliebris tolerantiae, ſplendorem ac dignitatem nobiliſſimi ſexus. *Male Vir* OVIDIO dicitur (*b*). *Laeſum viri nomen*, *laeſum corpus*, *laeſum amiſſumque ſexum* hoc ſcelere clamat TERTVLLIANVS (*c*). Non *viros* ſed bathalos, ac femellas vocari oportere pathicos ait CLEMENS Alexandrinus (*d*). Data enim opera marem ſexum in muliebrem commutant (*e*) *incurrente libidine in ſexum ſuum* (*f*) Graviter VALENTINIANVS (*g*) catamitos dicit

eſt *virile corpus muliebriter conſtitutum alieni ſexus damnare patientia* . Immo in tantam humilitatem caeci ſe demiſerant , ut vel feminas paterentur (*h*) . Atque ita virorum ſexus praeſtantiam ſuam dignitatemque perdiderat .

(a) *L.* 4. *C. Th. de accuſ.*

(b) *Art. lib. I. v.* 524.

(c) *In Sodom. cap.* 2. duobus locis, niſi quis alius illius Poematii ſit auctor .

(d)

(e) PHILO *de ſpecial. LL. p.* 658.

(f) Declamator Anonymus in *Milite Mariano* , *ſeu Decl.* 3.

(g) *L.* 6. *C. Th. ad l. Iul. de adult.*

(h) D. PAVLLVS *Epiſt. ad Roman. cap. I. v.* 26. 27. CLEMENS *Alexandr. Paedag. lib. III. cap.* 3. SENECA *Epiſt. XCV.*

§. XVI.

VBI SCELVS EST ID QVOD NON PROFICIT SCIRE . Parva mutatione legitur in C. Th. , *ubi ſcelus id eſt quod non proficit ſcire* ; et apud SARISBERIENSEM , *ubi ſcelus eſt quod non proficit ſcire* . Lectionem vulgatam non deſero. Tantum eſt ſcelus , ut illud ne ſcire quidem expediat . LACTANTIVS (*a*) . *Non poteſt haec*

res

res pro magnitudine sceleris enarrari. Vincit officium linguae sceleris magnitudo. Quod ut efficacius significaret B. PETRVS CAELESTINVS (*b*) piam quamdam opinionem commemorat aetate sua vigentem. *Dicitur quod Angelus bonus in tantum se elonget a colloquentibus de hoc vitio, licet non ad peccandum, in quantum vocis protenditur sonus.* Idcirco *arcanas* libidines adpellarunt Historici qui de secessu Tiberiano verba fecerunt, et pariter *incognitas* vocavit APVLEIVS (*c*): nam et in occulto patrantur, et nominari, immo etiam nosci non proficit. Sed veterum impudentia fuit insignis, quibus Gaditani et Aegyptii pueri, ac delicati in turpissima ministeria venales producebantur. Fragmentum accipe Fastorum Praenestis, quod VERRIO FLACCO tribuendum videtur, et Romae penes Card. Stupparium paucis abhinc annis exstabat. Edebat CL. GIOVE NAZZIVS Musis et Minervae amicissimus.

ROB . FERIAE . ROBIGO . VIA . CLAV
DIA . AD . MILLIARIVM . V. NE RO
BIGO . FRVMENTIS . NOCEAT . SA

CRI-

CRIFICIVM . ET . LVDI . CIRCENSIBVS MAIORIBVS . MINORIBVSQVE . FI VNT. FESTVS . EST . PVIRORVM . LE NONIORVM . QVIA . PROXIMVS . SV PERIOR . MERETRICVM . EST

De pueris istis lenoniis CLEMENS Alexandrinus (*d*). *Ego vero eorum etiam qui a mangonibus veneunt pusionum misereor : et tamen probro et iniuria non a se ipsis afficiuntur, sed iussu alieno ad turpem quaestum miseri ornantur*. In lupanaribus enim victimae illae publicarum libidinum prostabant, qua de re consulendus IAC. GOTHOFREDVS (*e*) atque ut alia mittam exempla effrontis intemperantiae, (*f*) satis est PHILONEM (*g*) audire. *Olim probrum fuit maximum, nunc eo gloriantur*. Aevo autem Constantini publicos vixisse concubinos et meritorios testatur B. HIERONYMVS (*h*). Item IVLIVS FIRMICVS coaevus Imperatori scriptor (de Gallis Cybeles opinor) haec tradit (*i*). *Videre est in ipsis templis cum publico gemitu miseranda ludibria, viros muliebria pati, et hanc impuri et impudici corporis labem gloriosa ostentatione detegere*. Move-

verunt ergo tam infanda flagitia sanctissisimum Principem ut iuberet leges insurgere, et exquisitis poenis damnaret infames. Sed et postea *virorum lupanaria* perdurarunt (*k*).

(a) *Lib. VI. cap.* 23.

(b) *Opusc. IX. cap.* 3. *p.* 851.

(c) *Lib. VII. p.* 119.

(d) *Paed. lib. III. cap.* 3.

(e) *ad l. 6. C. Th. de adult. &c.*

(f) VAL. MAX. *lib. IX. cap. I.* §. 8. SVETON. *in Tiber. cap. XLIV.*

(g) *De Special.* LL. *p.* 658.

(h) *Vid. sup.* §. 5.

(i) *De Errore Prof. Relig. cap. IV.*

(k) VALENTIN. *L. 6. C. Th. ad L. Iul. de adult.* ut haec lex plenior effertur industria GOTHOFREDI.

§. XVII.

VBI VENVS MVTATVR IN ALTERAM FORMAM.

Apprime congruit MVSONII locus (*a*). *Paratis et obviis contenti non sunt, sed rara cupiunt, et congressus indecentes quaerunt.* SEDVLIVS Hibernensis (*a*). *Aliam satanas dare legem non potest, nisi ut concessa et licita in alium ordinem vertat, et dum aliter fiunt quae concessa sunt, peccata sint.* Mutatur venus in alteram for-

formam: Venus scilicet a summo hominum conditore ideo instituta ut generis successio conservaretur, mutatur in voluptatem praeposteram ac deformem. Late hoc argumentum versat LVCIANVS (*c*), ac nimius essem si adferrem omnia quae in hanc sententiam dicta sunt.

(a) Apud *STOBAEVM Serm. VI. p.* 192.

(b) *Collect. ad Epist. D.* PAVLLI *ad Rom. Cap. I. p.* 498.

(c) *In Amorib. p.* 174.

§. XVIII.

VBI AMOR QVAERITVR NEC VIDETVR. Consentit Codex Theodosii Tilianus, Sed DVRANTIVS CASELLIVS (*a*) monet in membranis reperisse, *ubi amor quaeritur nec invenitur*. Hanc lectionem cum CASELLIO amplectuntur DOVZA (*b*) et IAC. GOTHOFREDVS. (*c*). Quid quod et SARISBERIENSIS legit, *Ubi amor quaeritur et non invenitur*? Urget GOTH. celebre illud hemistychium Petronianum (*d*).

Quaerit se natura, nec invenit.

Non tamen audeo repudiare scripturam receptissimam, praesertim cum verborum si-

gni-

gnificatio eodem recidat, nullumque prorsus commodum mutatio pariat.

Sed significatio ipsa verborum tenebris involvitur. RAEVARDVS ita conatur hanc exponere. *Cum vir nubit ut femina, amor quaeritur, amor non videtur. Quaeritur enim ab impuro marito abominanda quaedam in virum libido viri, et quia sub forma muliebri libido huiusmodi, cum vir ut femina nubit, occultatur, ideo ille qui quaeritur amor non videtur.* Obscurior est interpres auctore. Sapienter BYNKERSHOEKIVS alibi (e) iudicavit, *carere nos posse* RAEVARDI *expositionibus contortis*.

GVL. BEST (*f*) interpretationem aliam subverenter indicat allato LVCIANI fragmento ex Dialogo *Amorum*. Loquitur ibi Charicles de primis huiusce flagitii auctoribus, brutamque ipsorum inverecundiam notat, et id quidem video; sed quomodo lucem adfundat Edicto nostro, aeque cum ignaris scio. Dicam ergo quid sentiam.

Omnino Imperator ad PLATONIS placitum respexit. Philosophus (*g*) late probat cupiditatem huiuscemodi non *amoris*, sed

invidiae atque *odii* nomen mereri, cum non sit benevolentia, sed aviditas quaedam et fames belluis potius quam hominibus conveniens. Ex PLATONE sapit idem ille Charicles LVCIANI (*h*). *Honestum est, non ambitiose ac sibi tantum frui volendo, privatum auferre commodum et voluptatem; sed illo quod percipimus diviso paria facere, et similia recompensare* (*i*): *atqui hoc de puerorum amoribus dicere, nemo adeo insanus est qui possit* (*k*). Ardent Corydones Alexin, depereunt, aestuant. Hic tamen amor *non videtur*. Odium est, ferina est ac prorsus inhumana fames. Amorem alium purissimum natura excitat ad propagandum genus communis illicio voluptatis.

(a) *Var. lib. I. cap.* 2. Adnotat hanc lectionem DION. GOTHOFR. nescio tamen unde hauserit.

(b) *Praecid. Petron. cap. XII.*

(c) *ad h. l.*

(d) *De B. Civ. v.* 24.

(e) *Opusc. de Pact. strict. iur. cap. II.*

(f) *Rat. emend. leges cap. XXVII.* §. 9. *p.* 287.

(g) *in Phoedro p.* 304. 305.

(h) *in amorib. p.* 175. b.

(i)

(i) Communia quaerens Gaudia. LVCRET. *de Rer. Nat. lib. IV. p.* 131.

(k) *Odi concubitus qui non utrimque resolvunt: Hoc est cur pueri tangar amore minus.* OVID. *Art. lib. II. v.* 683.

§. XIX.

IVBEMVS INSVRGERE LEGES ARMARI IVRA GLADIO VLTORE VT EXQVISITIS POENIS SVBDANTVR IMFAMES QVI SVNT VEL FVTVRI SVNT REI. Consentiunt libri. Paullo aliter SARISBERIENSIS: *armari iura, ut gladio ultore et exquisitis poenis subdantur infames.* Prima lectio placuit GOTHOFREDO, et GRAVINAE, immo omnibus. Iura *gladio* armari dicuntur, id est mero ac saevissimo imperio. Hoc ita explicasse videtur PETRVS Blesensis (a). *Nonne hoc est peccatum quod lex Moysi damnat ad mortem, lex Imperialis gladio ultore persequitur?* quasi dixerit, *imperio magistratuum persequitur.* Contra alia lectio inconcinna est: prostratus enim ultore gladio subdi amplius non potest poenis exquisitis; aut si dicas vel gladium, vel poenas exquisitas ab Imperatore decerni, iam sanctio erit incerta, et ambigua. Quo fit ut arripiam scriptu-

pturam utriusque Codicis, et malim sequi librorum omnium fidem.

Poenas vero *exquiſitas* de vivicomburio accipit GOTH. (*b*) plaudente GRAVINA. Ignis enim summum fuit suppliciorum culmen. Hanc deinde poenam nominatim proposuit VALENTINIANVS (*c*) qui iussit infames *populo ſpectante flammis vindicibus expiari*.

(a) *lib. de Confeſſione p.* 1175. *lit. F.*

(b) *ad h. l.*, *&* *ad l.* 1. *C. Th. de offic. iud. omn.*

(c) *l.* 6. *C. Th. ad l. Iul. de adult.*

FELICITER.

VA1 152348